ORIGENES. MARCUS FRATER
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 149r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26142
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tenebrarum. cum neminem possit defendere. nec semet ipsum valeat liberare.
Et angelus. Princeps ait non propter potentiam ipse uocatur. sed propter primatum quem tenet
in tenebris. Licet namque plurimas ante istam uideris penas. pro nichilo cunc
te reputantur. cum huic inmani supplicio comparantur. Et anima. sic ego inquit
indubitanter iudico. nam uidere tantummodo lacum istum magis me conturbat.
Et fetorem eius sustinere plus me grauat. quam pati omnia que ante patiebar. Unde
rogo ut hinc me si potest fieri cito subtrahas et amplius me cruciari non
permittas. Video namque in hoc tormento cognatos multos et sodales. et
notos. quos mecum in seculo gaudebam habere socios. quorum hic consortium mul
tum abhorresco. Scio etiam pro certo nisi mihi diuina succurrat misericordia. meritis
meis exigentibus non minus ego quam ipsi patiar ista. Et angelus. Veni inquit
o felix anima. conuertere in requiem tuam. quia dominus bene fecit tibi. Non enim
patieris. neque amplius nisi iterum promerueris ista uidebis. Huc usque enim
inimicorum dei carcerem. amodo autem amicorum eius uidebis gloriam. Explicit de
penis criminosorum. xv. De moderata pena non ualde malorum.

Conuersa igitur anima sequebatur angelum precedentem
se. Et cum non longe pergerent. fetor euanuit. et destructis tenebris lux ap
paruit. fugatoque timore cita securitas redit. et deposita preterita
tristicia. anima repleta est gaudio et leticia. ita ut semet ipsam tam cito
mutatam miraretur dicens. Domine mi indica mihi obsecro quid est quod tam cito
me mutatam sentio. Frater namque ceca et modo uideo. tristis et leta sum. passa
per totam illam uiam intolerabilem fetorem. nunc uero nullum malum sentio odorem.
timida eram et ualde formidolosa. nunc autem gaudens sum et secura. Re
spondens angelus dixit ei. Benedicta sis ne mireris. hec est namque muta
tio dextere excelsi. Faciam enim uiam debemus redire in regionem nostram.
tu igitur benedic deum. et sequere me. Euntes autem uiderunt murum nimis
altum. et infra murum ex illa parte quam ipsi uenerant erat plurima
multitudo uirorum ac mulierum. pluuiam ac uentum sustinentium. Et illi